

13.  
DIVINA CLEMENTER ADFUL-  
GENTE GRATIA!  
EXERCITIUM ACADEMICUM,  
ZHTHMATA  
NONNULLA MISCELLANEA  
EXHIBENS;

*Quod*  
Permissu Amplissimæ Facultatis Phi-  
losophicæ, in Regia Universitate ad  
AURAM,

SUB PRÆSIDIO  
VIRI Admod. REV. ac CELEBERRIMI  
Dn. M. LAURENTII  
TAMMELIN,

Mathes. Professoris Reg. & Ord. nec  
non Eccl. in Råndamåsti Past. gravissimi,  
Studiorum meorum Promotoris  
optimi & devenerandi

*Publice placideq; disquisitioni modeste submittit*  
ISAACUS M. TAMMELIN, sarag: Finl.

*Die, si DEO visum fuerit, 20 Dec. A: 1711. In Au-  
ditorio superiori, horis ante Mered. solitis.*

---

Excudit, AND: Bördetman/ Un. Typ.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO  
PATRI  
AC  
DOMINO,  
Dn. JOHANNI  
GEZELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI  
Consummatissimo,

Inclutæ Diœceseos Aboensis EPISCOPO  
Eminentissimo,

Acad. ibid. PRO-CANCELLARIO  
Magnificentissimo,

Consistorii Ecclesiastici PRÆSIDI  
Gravissimo,

DOMINO, PATRI ac PATRONO;  
Summo Reverentiæ Zelo æternum  
Devenerando

*Salutem & Felicia  
quævis!*

**A**Nxia diu mecum, ut par erat, deliberatione agitavi, an mihi citra audaciæ & temeritatis notam, hæc infantia primitias ante pedes *Tuos Rever. PATER* deponere, fas esset; sed cum *Tua Reverendiss. PATERNITATIS* placidum & benignum animum perpendi, quo clientulos excipere indefinenter soles, discusso timore, venerabunda mente & spe favoris *TUÆ PATERNITATIS* solitæ, in perpetuæ devotionis & humilitatæ venerationis tesseram, *Immortali TUO NOMINI* immaturi hunc ingenii mei Fœtum inscribere ausus fui, qui tam imperfectus est, ut rectius abortus nomen mereatur. Hac igitur mente *NOMEN TUUM splendidissimum* præmittere placuit, quo simul & asylum, sub forti *Tuo* præsidio inveniret, & splendorem, quem in se habet omnino nullum, a splendida *NOMINIS TUI* Luce mutaretur. Es enim *Reverendiss. PATER* Sal terræ, sacrique cœtus, cujus die nocteque solite curam geris, Antistes venerabilis: Rogo itaque humilime digneris exiguum hoc subjecti animi monumen-  
tum

tum lucido oculorum Tuorum fidere a-  
spicere, & tenuitatem ejus ac simplifica-  
tem in meliorem partem interpretari;  
Quo beneficio, quò ego sum indignior,  
eo benignitatis Tuæ fama redditur illu-  
strior; Nam hoc si obtinuerò, maxima  
me felicitate locupletatum esse credo,  
speroque Te, pro solito Tuo, erga  
omnes affectu, me studiaque mea be-  
nigne promotorum. Ego vero cum re-  
munerationis loco aliud nihil offerre  
possum, supremum Numen votis im-  
plorabo calidissimis, velit Te *Reveren-*  
*diss. in Christo PATER, Fortissimum*  
*Christiane Religionis veræque Pietatis*  
ATHLETAM, in Ecclesiæ Evangelicæ  
decus, Regniq; nostri gaudium, hu-  
jus Athænei splendorem, nobilissimæ  
pariter Familiæ fulcimen, quam diu-  
tissime superstitem conservare!

REVERENDISSIMÆ

TUÆ

PATERNITATIS

*ad ultima usq; fata*

*Cliens devotissimus*

*atq; humillimus*

ISAACUS M. TAMMELIN.

S:æ R:æ M:ris

Optimæ Fidei Viris

*Celeberrimis atq; Amplissimis Dominis*

*PROFESSORIBUS*

Virisq; de Vinea DEI optime meritis Pl;

*Reverendis atq; Doctissimis Dominis*

Dn. ISRAELI J. NESSELIO,

Eloqv. Prof. Celeberrimo nec non Aca-  
demiæ hujus ad Auram Rectori hoc anno

Magnifico, Mæcenati & Promotori indu-

bitatissimo, humilimo animi obse-

quo æternum suspiciendo.

Dn. PETRO HJERW/

Medicinæ Doctori & Prof. Experientis-  
simo, Promotori & Inspectori gravissimo,

grata & devota mente æta-

tem devenerando.

Dn. JOHANNI WIGELIO,

Past. in Tyrvis fidelissimo, ejusdemq;

districtus Præposito acuratissimo Promotori

omni honoris & officii cultu inde-

sinenter prosequendo.

Dn. MATTHIÆ TAMMELINO,

S. Cætus qui in Moushjerwi DEO colli-  
gitur Pastori meritissimo & vigilantissimo Pa-

renti tuo charissimo, omni filiali obse-

quo ad cineres usq; suspiciendo.

*SALUTEM AC PERENNEM*

*FELICITATEM!*

**O**Mnes hoc a natura infitum habemus PROMOTORES, ut eos, a quibus beneficia accepimus, omni officii, & obsequii genere colamus, ac veneremur. Nullum enim mortales vitium majus esse arbitrantur, quam dum ingrati animi notam aliquis incurrerit; Hæc teterrimi vitii labes, ne me conspergeret, semper id in mente habui, ut propter ineffabilia VEST. beneficia, mihi uberrime exhibita, gratum me ac memorem, vel hoc tenui munusculo evidenter omnibus demonstrarem, VESTRISQUE meritis erga me singularibus, aliqua ex parte gratum me declararem. Vos igitur *Mecenates, Promotores & benefactores* submisisse devenerandos, ea qua par est animi veneratione rogo, ut levidentis hoc & minimi pretii munus indevoti animi signum, simul ac gratitudinis *παιήριον* indubitatum accipiatis, & memet clientulorum infimum in posterum benignissimo favore ac patrocinio amplecti dignemini. Ego intimis suspiriis quotidie exoptabo, velit DEUS OPT. MAX. Vos in annos usque Nestoreos conservare, felicitate quavis beare, & vitæ hujus pertractos æterna beatitudine coronare, ut cum omnibus sanctis in secula infinita triumphetis. Valet! bonoque publico diutissime superstites vivite.

VEST. AMPLIT. DIGNITATUMQ;

*Humillimus & observantissimus*  
Isaacus M. Tammelin.

*Literis & Virtute Ornatissimo*

**Dn. ISAACO M. TAMMELINO**

Amico suo perdilecto ita paucissimis  
sed animum Gratulari voluit.

**R**em facis insigni celebrandam laude, parasq;  
Quæ bona sunt nullo disperitura modo.  
Ergo susceptum felix, urgeto laborem,  
Promoveatque DEUS, dulce laboris iter!  
Perge tuis cæptis, Clari Patris optime fili,  
Ut tandem studii digna brabea feras.  
Quæ tibi si forsan, præsentis tempora secli  
Invideant, quid tum? te bona fama manet.  
Divinum auxilium, primo pete supplice voto,  
Prosper ut in Domino sit labor usque tuus.  
Gratulor ergo tibi, te Christus sospitet ipse,  
Annuat & cæptis, lux, via, vita, salus;  
Felix vive, vale fautor peramice, benigno  
Annos in multos vive vigeque DEO.

**JOH. WRIGSTADIUS.**

**Q**uis vitio verteret & juvenem si  
dixero Phœbi

Artibus addictum plurimo ho-  
nore frui.

Res sanè egregias urges de quibus  
modo ISAACE

Verba facis : si ergo redditur  
amplus honos,  
Non gressum sistas, I, consociare  
Camœnis

Dulcibus, & meritis te remane-  
bit honor.

*Hæc pauca amoris &  
honoris ergo adposuit*

**G: HAGERT.**





*Christe meis Studiis benigne semper adesto,  
In Laudem ut vergant Nominis illa Tui!*

& Psalm. 86, 11.

ZH'THMA I,

Terra num sit rotunda?

**D**E Terra heic loquimur non prout Elementum est, sed quatenus est medium mundi, habitaculumque mortalium, quam in prima hujus universi creatione a sapientissimo ejus fabricatore DEO, rotunda figura conditam esse asserimus, idq; breviter sequentibus rationibus probabimus. Demonstratur itaque rotunditas Terra-quei Globi. 1. Ex Stellarum ortu & occasu, Stellæ enim non æqualiter oriuntur & occidunt omnibus mortalibus, ubique existentibus. Populis Orienta-

ocys, quam illis qui sunt versus Occidentem. Joh. de Sac. Bosco in lib. de Sphæra. Porro si quis *e longinquo vel aliquo usque ad terræ latitudinem* locum mutaverit, aliæ ipsi apparent Stellæ aliæ vero ipsi occultantur, quæ omnia non oblcure terræ rotunditatem arguunt. 2. Terra Sphærica est, & in medio mundi sita instar centri a cœlo undique æqualiter distat, atque vi potentia Divinæ sustentatur. unde illud Poëta:

Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa :  
 Aëre subjecto tam grave pendet onus.

Quia solum corpus Sphæricum est simile, i. e. cujus partes inter se similes sunt, demtis enim partibus æqualibus, singulæ affectiones, quæ uni parti competunt, alteri etiam conveniunt, sibi que mutuo applicari possunt. 3. Confirmatur etiam sententia nostra, partim ex omnium consensu, qui terram orbem vocant a rotunditate, partim ex umbra terræ, quæ in Ecclipsib9 rotunda  
 vel

vel conoidaliseft. Qualem itaq; figuram terra revera habet, talem etiam fpargit umbram ſc. rotundam, quem admodum obſervarunt Aſtronomi. Terra vero ſola abſolute conſiderata, plane rotundum corpus non efficit, ſed conjuncta cum aqua, ut teſtatur Plin. lib. 2. c. 6: 4. Terram non planam, non cavam, non anguloſam, non tetragonam, non hexagonam, nec aliam quamcunq; figuram habere; ſed ſphæricam monſtrat probatqve denique Clariffimorum Mathematicorum omnium conſentiens authoritas. 5. Hiſce omnibus ſigillum tandem ſacra Authoritas imponit, quæ ſyderum motum circularem, Cœli & terræ rotunditatem, centrum mundi terram, expreſſe teſtatur atqve roborat; legitur enim apud Elai: 40, 22. *Qui ſedet ſuper orbem terræ &c.* i.e. ſphæram ſeu gyrum aut Circulum. Quis itaque hujus univerſi ſapientiffimi fabricatoris, Dei omnipotentis, divino verbo contradicere audet.

## An dentur Aquæ supra Cœlestes?

Aquas supra cœlestes dari satis superque monstrat sacra scriptura. Textus enim Mosaicus qui simplicem continet historiam expresse mentionem facit aquarum supra cœlestium, qui ita audit Gen: 1, 6. & 7. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita, vocavitque Deus firmamentum Cœlum.* Quamvis nonnulli per has aquas, eas, quæ in nubibus sunt intellectas volunt, tamen commentum hoc non consistit. Manet igitur hoc Cl. Sperlingii argumentum immotæ veritatis: Ubicunque facta fuit aquarum divisio; & inter superiores & inferiores distinctio, ibi datæ sunt aquæ supra cœlestes; atque in creatione mundi facta fuit aquarum divisio & inter su-  
pe-

periores & inferiores distinctio, Ergo etiam ibi datæ sunt aquæ supra cœlestes. Adduci possunt & alia sacræ scripturæ testimonia, in quibus similiter mentio fit aquarum supra firmamentum locatarum. Regius enim Psaltes hunc in modum loquitur Psalm: 104, 3. *Extendens Cœlum sicut Pellem, qui tegis aquis superiora ejus.* verba, *qui tegis aquis*, Doct. Andr. Osiander lit. a ita exponit, *Deus cœlos ita fecit, ut superne clauderentur & circumdentur aquis; utique cœlum sit iustar fornicis, inter nos & illas superiores aquas.* Psalm: 148. 4. 5. *Laudate eum, inquit, cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini, quia ipse dixit & factæ sunt: ipse mandavit & create sunt.* quidam h.l. particulam MEAL explicant non per *super*, sed *de-super*, sive *subter*, Lutherus tamen alique saniores recte und die Wasser die ober am Himmel sind. Huc pertinet conclusio Augustini lib. 2. ad Gen: cap. 4. *Major est hujus scripturæ authoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.*

## An Usuræ sint licitæ?

Distingvendum iuter usuras lucratorias seu mordentes & Compensatorias. Illa damnanda hæc concedenda. Usura *lucratoria* seu mordens, est cum ultra æquum exigitur: Dicitur mordens quia ejusmodi Usura hominem mordet, ut Plautus dicit: *Habeo argentum, jam admordere hunc mihi lubet*: Quare etiam assimilatur morsui serpentum in S: S: quam assimilationem Chrysostomus in cap. 5, Matth: elegantissime ita exponit: Usura similis est morsui Aspidis, percussus enim ab Aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per svavitatem soporis moritur, quia tunc venenum latentur per omnia membra decurrit: Sic qui sub usura accipit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed usura ista avari per omnes facultates decurrit & totum convertit in debitum. *Raja* etiam merito dicitur imago usurariorum, qui vivunt ex in-  
 justa

iusta præda, nunquam enim cibum ca-  
 pit hic piscis, nisi prius discurrerit &  
 alium quendam læserit. *Volfg. Franc.*  
*in Hist: Animalium Sac. pag. 651.* Ille-  
 gitimus usurarius nihil est aliud quam  
 impostor, tur, prædo peculator & hu-  
 manæ societatis devastator, hæc Luthe-  
 rus. Usurarius inultus prædo; indo-  
 ctus Medicus, honoratus homicida.  
*Sventosslaus Nivick: in Regula vitæ sa-  
 cro Politica p. 36. § 175.* Usura vero  
*Compensatoria* quæ etiam census annuus  
 dicitur. Est quæ compentat debitum.  
 Et est species quædam gratitudinis,  
 qui enim per pecuniam, quam ab aliis  
 mutuam accepere, res suas familiares  
 quam maxime augent, utiqve ad ali-  
 quod *αντίδορον* reddendum obligati sunt.  
 Ad quod jure naturæ etiam obstringi-  
 mur, ut grati simus pro beneficiis in  
 nobis collatis, non tantum verbis sed  
 etiam factis & recompensatione aliqua;  
 Quare Eumenes potius mori, quam  
 ingratus vivere voluit, ut extat apud  
*Cornel. Nep. in vita Eumenis cap. 6.*  
DEUS

DEus etiam ipse apud Evang. Lucam nos gratos esse mandat : *Prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Saluberrime itaque ac sano consilio approbavit hoc Rex noster Clementissimus, qui edicto quodam Regio hujusmodi usuram exigere clementer mandat & permittit. Cum vero omnes, qui in hoc mortalitatis ergastulo vitam degunt, non sunt ejusdem conditionis ac sortis, præstat heic distinctionem personarum annectere. Tria sunt mortaliū genera, qui certas ob causas mutuari coguntur. 1. Extreme pauperes, his salva conscientia non possumus aliquod mutuum dare cum obligatione de restitutione, sed potius donatione liberali & mutuo Eleemolynario ejusmodi egenis succurrendum, quo pertinet Dicitum Christi Luc. 6, 35. *Mutuum date nihil inde sperantes.* 2. Sunt, quibus quidem facultates quædam sunt, destituuntur tamen necessariis, ob necessitatem, quæ eos sæpe numero premit; ab his, nostrum salva conscientia repetere



tere licet, sed sine usuris, gravissimum enim esse peccatum, si ab his, qui pecunia mutuo sumpta nihil lucrantur, usura sumatur, quod disertis verbis in sacris Literis damnatur ut, Exod: 22, 25. seqq. *Si pecuniam mutuo dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuram super eum pones.* Idem reperitur in Deuteronomio c. 23, 19. & Lev. 25. 35. &c. præterea ejusmodi usuræ, tollunt mutuam charitatem, misericordiam & beneficentiam. Similesque sunt Piscatoribus, ut Basilius ait, sicut enim piscator vermiculum hamo alligat, ut pisces decipiat, ita fœnerator Pecunia sua proximum allicit, qui incautus una cum vermiculo hamum quoque deglutit, atque ita ut piscis enecatur. Vetustas urticam & spongiam marinam comparabat ejusmodi usurariis, qui sese aperunt sicut urticæ & spongiæ, & aliorum bona deglubunt. Et hoc est quod Justitiæ legibus plane contrariatur; *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* In tertio homi-

num gradu collocandi sunt omnes Divites & opulenti, qui argentum sive aliquid aliud mutuuntur non ad sui necessariam sustentationem, sed ad majus lucrum faciendum, a quibus omnino sine ulla charitatis violatione annum censum a Magistratu permillum exigere licet.

Z Η Τ Η Μ Α. IV.

An omnis ἀνὸχνησία improbetur ?

Qui in Historicorum monumentis vel leviter fuerit versatus, confiteatur oportet, neminem omnia exempla enumerare posse eorum, qui suæ ipsius mortis fabri fuere. Non tamen magnopere miremur, quod Pagani illa pusillanimitate fuerunt, cum ex verbo Dei informati non fuerint, majori admiratione dignum est, quod qui veram de Deo agnitionem imbiberunt, ea vecordia fuerint, ut vim sibi accelerarent. Cicero in somnio Scipionis fatetur, nefas esse vitæ sibi periculum accelerare, sed expectandum donec *Deus te istis corporis custodiis liberaverit, si aliter feceris, in Cæ-*

lum tibi aditus patere non potest. Quare omnibus piis retinendus est animus, in custodia corporis, nec injussu ejus, a quo ille nobis datus est, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo, defugisse videamur. Graviter itaque peccat ἀνὸςχαιρ̄ primo in DEUM creatorem suum. Dilerte enim Deus mandat. Ne occidas, qui igitur se ipsum occidit, hominem utique occidit. Nemo membrorum suorum Dominus, ne dum potestatem vitæ & animæ habet. Veruit enim Dominus Deus in Decalogo homicidium proximi, Ergo multo magis sui ipsius occisionem, cum sibimet ipsi quilibet sit proximus. Deinde peccat ἀνὸςχαιρ̄ in Rempublicam quam membro & cive orbat, in majores aliàs usus reservando. Hinc Pythagoras: Homines in hunc mundum a Deo sunt collocati, velut in statione quadam, ex qua sine consensu DEI omnipotentis, tanquam summi Imperatoris, non sit migrandum. *Qua positus fueris in statione mane.* D. Beust. Tertio in semetiplos peccant

*ἀνθρώποις.* Lex enim Naturæ requirit, ut omne animal sui ipsius conservatio- nem intendat. *Nemo carnem suam odio habet; sed nutrit & fovet eam,* dicit Paulus in Epist. ad Eph: 5, 29. Capite plectebat Imperator Adrianus eum, qui graviter se lædebat. Delirat itaque & sacrilegium committit, qui vitam, bonum optimum ac Dei donum pretiosissimum ob injurias temporales sibi eripit, sibi ipsi carnifex. Unde Seneca eleganter monet: si certa mors instabit & destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit sapiens pœnæ suæ manum, stultitia est timore mortis mori. Veniet qui occidat, expecta, quid occupas alienum negotium? adhuc idem: Non est res magna vivere, magnum est honeste mori. Et Epist. 24. Vir fortis & sapiens non fugere debet e vita sed exire. Quoniam vita qua fruimur brevis est, memoriam nostram, quam maxime longam efficere studeamus. Sallust: Proinde concludimus quemcunque violentas manus sibi ipsi inferentem fortitu-

titudinis nomine plane indignum esse. Nam perpetua est Regula: *Non sunt facienda mala ut inde eveniant bona.*

Z Н Т Н М А. V.

Utrum deterius vitium voracitas  
an Ebriositas?

Voracitas est quidem vitium magnum & detestabile, sed Ebriositas forsitan est vitium detestabilius, furibundos namque facit homines vel similes saltem eis, dum omne rectæ rationis imperium exiit. Quidam enim mortaliū tam strenue potant, ut neque pes, neque manus aut etiam mens officio suo recte perfungantur, appellatur aliàs *Ebriositas madida & cyclopica* ingluvies, quam & honestas, & recta ratio, sicut etiam sanctissimum Dei verbum extreme averfantur & damnant. |

Confer August. ad sacr: virgin. Ebrietas est flagitiorum omnium mater, radixque criminum, origo vitiorum, subversio sensus, naufragium Castitatis, insania voluntaria, honestatis

infamia &c. & alibi idem in quodam sermone: *Ebrietas est blandus Demon, dulce venenum, suave peccatum, quam qui facit, peccatum non facit, sed totus est peccatum.* Sic Ebrietatem descripsit D. Ambrosius. Ebrietas est incentivum insanix: Fomentum libidinis, sine Baccho enim friget Venus. Venenum sapientix. Hæc sensus hominum mutat & formas, per hæc fiunt ex hominibus equi adhinnientes &c. Hinc David Millesius Nilenus.

*Ebrietas commune malum, suavissima pestis,*

*Hæc mea per titulos fama feretur ait.*

*Illæ ego terrarum domitrix, regina malorum*

*Quæ clarum toto nomen in orbe gero.*

*Dux scelerum suprema vocor vitique magistra,*

*Nil nisi dulce malum, nil nisi dulce nefas.*

*Mors animi, gratusque furor, blandumque venenum,*

*Morborum placidus fons, & amica lues. &c.*

Homines quidem sciunt, ex ebrietate sequi multa mala, neque tamen conantur fugere ebrietatem. Sunt etiam per plurimi hominum similes anseribus & anatibus, bibente enim uno, omnes reliqui bibunt, ita multi, non propter sitim bibunt, sed ex consuetudine, & in gratiam aliorum inebriantur. Ubi vero Ebrietas ibi varia peccata dominantur; nam ebrii seu ebrietatibus dediti facile a sathana ad peccandum alliciuntur & impelluntur juxta illud Ovid.

Et venus in vinis, ignis in igne furit.

Unde recte quidam ex patribus dixit, voluptates & imprimis ebrietatem ideo fugiendam esse, quod ex hac sequantur alia peccata. Et nonnemo fateretur, se tutum esse contra omnia peccata, modo non ebrius esset: me enim ebrium, addebat, non possum regere, sed tunc diabolus me ducit in omne genus vitiorum. Nimirum primo diabolus eum conabatur impellere ad committendum homicidium, sed frustra:

mox

mox ad adulterium, sed iterum frustra. Postea Persvadebat misero, ut inebriaretur; in ebriatus & adulterium & homicidium simul committit. Brevitatis amore adducere nolo terribilem Historiam quam Michael ab Jsselt lib. 12. in Mercur. Gallo-Belgico Dominica Quadragesimæ A. 1595 accidisse scribit, in urbe quadam, nomine Baccharach, in ipsa Rheni ripa inter confluentiam & Moguntiam sita. Deploranda igitur multis lacrymis pessima ista consuetudo *bibere mensuram sine mensura.* Ut Gellius ait lib. 1. cap. 24. Amicus humaniter exceptus non censetur, nisi plane inebriatus; velut bestia in stratum fuerit deportatus. Quo pertinet dictum verissimum Bahufii. *Hac sola nunc est vita morsalium. male vivere & bene bibere.* In lacris Literis ebriositas etiam illis adjungitur peccatis, quæ ex regno Dei excludunt. *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* 1 Cor: 6, 10. Ratio autem est quia præpotentis Dei i-  
ma-



maginem valde deturpant, & instar amentis & bruti in propriis sordibus se volutant. Unde Crysoftomus: *Ebrietas sues ex hominibus facit.* Per plurimi enim fortiter bibendo concertant, quis tandem victor evadat, quidam vero continuo hærent in popinis, & sæpe uno die ut Ambrosius dicit: *multorum dierum labores bibunt,* misera uxore & liberis, fame & siti, pereuntibus. Ibidem demonstrat ebriosum Jumentis deterriorem, cum illa ultra necessitatem non bibant; licet mille invitentur modis, aut etiam verberibus adigantur. Ex hisce igitur latis patet ebriositatem vitium maxime detestabile esse & horrendum. Juste etiam ab omnibus sanis hominibus reprehenditur, & tanquam pestis summe vitanda damnatur. Homini vero Christiano maxime fugienda ebriositas, ne in tot corporis animique mala præceps ruat, fiatque dæmonum præda, & ludibrium, juxta illud Pauli dictum Eph: 5, 18. *Ne inebriemini vino, in quo est luxuria.* Unde Æmylius

*Parcite mortales nimio vos mergere Baccho,  
 Cui Venus exspumans, luxus & omnis inest:  
 Ne veniens cogat somno, vinoque sepultos,  
 Mors animam vomitu reddere purpuream.  
 Ve illis quorum venter Deus est. Phil. 3, ne-  
 scientes quod ad vincula quasi agnus lasciviens  
 & ignorans trahantur. Prov. 7,*

Veteres etiam ethnici ac omnes sani  
 homines ebriosos valde diffamati sunt,  
 ut Martial. lib. 8. epig. 46. in ebrium  
 Appium.

*In niveis Appi jam regnat Bruma capillis,  
 Inque oculis semper vino flammantibus aetas,  
 Baccifer autumnus pingit nasumque genasque,  
 Cumque bibit, florum dulce illi ad tempora  
 Ver est;  
 Sic potans totum in vultu gerit Appius an-  
 num.*

Adducimus adhuc Doctissimorum &  
 experientissimorum virorum rythmos,  
 quos in Laudem Bacchi & gregis ipsi-  
 us egregie composuere nempe.

*Ebrius atque satur, his ecce modis, Variatur:  
 Hic canit, hic plorat, hic blasphemus, hic  
 eras,*

*Hic*

*Hic pacificus, hic est mulieris amicus.  
 Hic saltat latus, hic est sermone facetus.  
 Iste loqui nescit, hic cespitat, ille pigrescit.  
 Hic est. clamorosus, hic est nimium vitiosus.  
 Disputat hic, villa per compita, cursitat ille,  
 Hic vomit, ille vorat, sic Bacchi turba laborat.  
 Et Ovid. lib. I. de arte amandi.*

*Vina parant animos, faciuntque coloribus  
 aptos:*

*Cura fugit multo, diluiturque mero.  
 Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sum-  
 mit,*

*Tunc dolor, & curæ rugaque frontis abit.  
 Tunc aperit mentes, ado rarissima nostro  
 Simplicitas artes excutiente Dæo.*

Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculo-  
 rum ulcera, tremulæ manus, effunden-  
 tes plena vasa, & (: quæ sit pœna præ-  
 sens:) furiales somni, & inquietas noctur-  
 na, præmiumque summum Ebrietatis  
 libido portentosa ac jucundum nefas.  
 Postero Die ex ore halitus fœtidi, &  
 fere rerum omnium oblivio morsque  
 memoriæ, ut Plinius scribit lib. 14. c. 22.  
 De Tabula v, manum, nunc temporis.  
 bre-

brevitas & ingenii mei tenuitas, sumere jubent, Te itaque B: L: ea qua par est animi veneratione rogo, ut æquum te & facilem immaturi hujus fœtus censorem præbeas, æquitate defectus suppleas, & errores, quos deprehendis, pro tua bonitate in meliorem partem explices. Illos vero qui aliorum exercitia, more solito, dedecorare solent, vilipendo & contemno, Quod caret enim invidia differente Basilio, factum laudabile non est, infelix cui non invidet ullus homo.

I Tim: I, 17.

Τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ τιμῇ καὶ δόξῃ εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

---

### COROLLARIA.

An Terra sit immobilis? Aff.

An Stellarum numerus ab hominibus definiti possit? Neg.

An mors omnium terribilium sit terribilissimum? aff. dist.

An uxor suo marito obedientiam ac honorem præstare teneatur? aff.

